

Exercitatio medica de consuetudinis natura, vi, et efficacia ad sanitatem et morbum, ejusque in medendo observationis necessitate ... / eruditorum examini subjicit Georgius Theodorus Speirman in magno juleo ad diem I. julii anno [1681].

Contributors

Speirman, Georg Theodor, active 1681.
Meibom, Heinrich, 1638-1700.

Publication/Creation

Helmstadii : Typis haeredum Henrici Davidis Mulleri, [1681]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/scfbtpwc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIO MEDICA
DE

CONSVETVDINIS
NATVRA, VI, ET EFFICA-
CIA AD SANITATEM ET MORBVM, EIVS-
QVE IN MEDENDO OBSERVATIO-
NIS NECESSITATE

QVAM

DIVINA ANNVENTE GRATIA
PRÆSIDE

DN. HENRICO MEIBOMIO,
MED. D. ET P. P. ACADEMIÆ HODIE
PRORECTORE MAGNIFICO, ET FA-
CVLTATIS MED. DECANO SPECTA-
BILI, NEC NON ARCHIATRO
GVELPHICO

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE AC HOSPITE
SVO, OMNI OBSERVANTIÆ CVLTV
VENERANDO.

ERVDITORVM EXAMINI SVBICIT
AVTOR

GEORGIVS THEODORVS SPEIRMAN
IN MAGNO IVLEO

AD DIEM I. IVLII ANNO clō Ibc LXXXI.

HELMESTADII,
Typis Hæredum HENRICI DAVIDIS MULLERI,

SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DN. GEORGI WILHELMI
DVCIS BRVNSVIC. & LVNEBVR-
GENSIS
CONSILIARIIS GRAVISSIMIS

MAXIME REVERENDIS, NOBILISSIMIS, EXCEL-
LENTISSIMIS ET CONSULTISSIMIS
VIRIS

DN. HENRICO SPEIRMAN
ICto CELEBERRIMO CONSILIARIO AV-
LICO PRIMARIO, ET JVDICII PROVINCIA-
LIS ASSESSORI MERITISSIMO, ET COL-
LEGIATÆ ECCLESIAE, S. BONIFACII,
QVÆ EST HAMELÆ,
DECANO.

DN. THEODORO CONERDING,
MED. DOCTORI CELEBERRIMO, CON-
SILIARIO ET ARCHIATRO MERITISSIMO,
VT ET ECCLESIAE COLLEGIATÆ BAR-
DOVICENSIS DECANO,

ILLI GENITORI SVMME VENERANDO,
HVIC EX BAPTISMO QVONDAM SVSCEPTORI,
NVNC PATRONO MAXIMO
SVMMA CVM TESTIFICATIONE AMORIS
ET OBSERVANTIÆ

HASCE THESES

DAT, DICAT CONSECRAT

GEORGIUS THEODORVS SPEIRMAN.





I. N. J.

Proæmium.



Onsuetudinis vox nota omnibus est, nec tantum ii, qui Ethica & Civilia tractant, à teneris asuescere multum esse, notant, consuetudinisque ubiq; magnam vim esse, observant, sed etiam, qui Naturalia Medicaque tractant, Consuetudinis & Consuetorum ubique in scriptis suis meminerunt, utunturque omnes vocibus his eodem sensu, quo vulgus eas accipit, ut proinde de nomine sollicitum esse supervacaneum sit. Vim igitur ejus & effectus potius examinabo, ducto altius exordio.

THESES. I.



Uicquid in corpore nostro humano à partium omnium propria constitutione, Spiritibusque in primis & Sanguine, Calidoque illi inhærente, ut moventibus, dependet, & fit, illud à Natura dependere & fieri dicimus: ideoque Naturæ nomine complexum aliquem variarum causarum

agentium , à Deo Creatore ita ordinarum intelligimus, ei que non tantum in sanitatis statu tam varias & pulcras actiones adscribimus, sed etiam, Valetudine afflicta, Naturam morborum medicatricem cum veteri & recenti Medicorum Schola agnoscimus, illiusque ministros & actionum ejus omnium diligentes observatores Medici nos profiteamur.

ΕΥΔΙΝΑΣΙΣ ΜΟΡΒΩΝ ΣΙ II.

Alteram verò Naturam esse Consuetudinem, non tantum vulgari sermone fertur, & ita receptum est, ut Naturæ suæ vulgus etiam ea adscribat, quæ revera consuetudini debentur, Naturam ita determinanti: verum etiam rem rectè perpendentibus, propter manifestos ejus circa naturales agendi potentias, impotentiasque, effectus, clarum est: unde *Πρώτη του Φύσις*, adscititiam naturam priscos secutus *Galenus*, cum alibi, tum *lib. 2. de Temper. c. 4.* Consuetudinem appellat.

III.

Uti igitur ipsam Naturam, sic quoque Consuetudinem, alteram Naturam, considerare diligenter, ad usum in omni Artis nostræ parte, debet Medicus: id quod quomodo quàm optimè fieri possit, debeatque, hisce thesibus mihi explicare propositum est. Primo autem ex Physiologia & Pathologia ostendam, quomodo actiones corporis nostri, quæ à Natura fiunt & dependent, à Consuetudine augeantur, determinantur, immutentur. Deinde ex Semeioticis patebit, quomodo in cognitionem quorundam morborum, & ad Prognosin rectè faciendam, Consuetudo nos ducat. Denique quòd in Victus ratione, in Medicamentis, in tota Medendi Methodo Consuetudinis habere rationem Medicus,

dicus, eamque non temerè mutare debeat, abque ipsa sumere interdum indicationes, in fine ostendam.

IV.

Ex Physiologia igitur notum est, Deum non tantum omnes corporis humani solidas partes mirificè ad actiones suas edendas, justa figura, situ, ordine fabricasse, sed etiam moventia quædam, Sanguinem, Spiritusque dedisse, quorum impetu, & Cordis inprimis continuo motu, vigorem singulæ nactæ, id agunt, ad quod destinatæ sunt suo quæque loco, accipiunt, procellunt, excernunt, movent se sibi que coherentia. Et hæc quidem statim à prima generatione fiunt dum adhuc in utero matris infans est, continuoque illo sanguinis & spirituum regulari motu asuescunt omnes partes magis magisque ad tales ordinatos motus. Ubi etiam ipsum consuetudinis effectum in determinando situ jam tum videre licet. Cum enim (qua de causa, quove Naturæ sapientis consilio, nunc non disputo) foetus talem in utero situm habeat, ut genua cubitis sint proxima, manus manui superimposita, pedesque introrsum ita reflexi, ut plantæ clunes attingant, videmus deinde, quando jam in lucem editus est, si sibi, in sinu obstetricis dorso incumbens, relinquatur, situm plurium mensium consuetudine sibi factum familiarem repetere, genuaque attollere: tibiæ verò introrsum flexæ, maximeque ad interiora incurvatæ, minus convenientes incesui positus retinerent sine dubio, nisi deligatura aliqua commoda corrigerentur.

V.

Quando verò jam editus est in lucem infans, &

causæ plurimæ externæ in ipsum agunt, & ipse ad certas actiones vel aliorum, vel suo arbitrio se determinat, longè majorem Consuetudinis vim observamus. Ipsæ illæ infantū fasciationes (quas si commodæ sint, antea laudavi,) minus dextrè adhibitæ, si diu continuentur, teneræ partes, & molliuscula ossa sequuntur externam illam vim, & tandem assuetudine abeunt in tales positus, quales imprimunt fasciæ, non secus ac si naturales essent. Quo pertinet observatio *Hippocratis lib. de aër. aq. & loc. de Macrocephalis*, qui infantum suorum capita manibus primò in longitudinem coaptabant, dein vinculis constringebant, & instrumentis, ut rotunditas prohiberetur: Unde non tantum consuetudine factum est, ut ejusmodi natura capitum existeret, sed etiam temporis progressu Naturales produxit, ut non esset necesse consuetudine ad talem figuram cogere. *A principio inquit n. xxxv. §. 4. consuetudo in causa fuit, ut tam longis capitibus essent. Nunc autem Natura ipsa cum Consuetudine conspiravit.* Et ita quoque notavit *Galeg. de la Serna in l. de conserv. infant. tract. 3. c. 5.* omnium fere Gallorum crura magis directà esse, quam crura Hispanorum, idque dependere à fasciandi consuetudine, quam nationes illæ peculiarem habent, ibidemque exponit & explicat.

VI.

Cum autem varii admodum sint Consuetudinis in corpus nostrum effectus, sive prima ætate, quando illud ducitur *ceu nervis alienis mobile lignum*, sive in succedente, quando suo arbitrio regitur, soleantque Medici morbos, qui à naturali statu nos abducunt, secun-

secundum sex Res, Nonnaturales dictas, Aërem, cibum & potum, motum & quietem, somnum, & vigiliam, excreta & retenta, animi denique affectus considerare; Ego quoque juxta illa sex memorata Consuetudinis operationes in corpora nostra memorabo, diducam & explicabo, initio de Aere factò.

VII.

Cum Aere indigeamus omnes, à primo statim ortu, illoque aëre per totam vitam carere nequeamus, inspiratio ipsius & exspiratio maximè naturalis censenda est. Circa illam verò Consuetudo etiam aliquid facere observatur. Cum enim constet, magnam Aëris inter se, pro diversitate locorum & aliis de causis esse differentiam, in caliditate & humiditate, in frigiditate & siccitate, nec minus in crassitie & tenuitate, videmus homines qui in uno illorum degunt, ita paulatim eidem assuescere, ut alium non nisi cum difficultate aliqua ferant, eique sensim sensimque assuescere cogantur. Qui in humidis locis enutriti, sæpe à sicco aëre, subitò ad illum delati, malè habent, & contra: qui in convallibus nati sunt, montano aëri ferendo primò vix pares deprehenduntur, deinde tamen sensim assuescunt. Ita balneorum vaporosum aërem, & hypocausta Septentrionalium alii non assueti minùs commodè ferunt, & in subterraneis locis & metallifodinis profundissimis non parum se affici observant alii, non item fossores & metallarii, qui quotidiano usu illi aëri assuescunt. Quam consuetudinis vim circa aërem, quem attrahimus, illustrent quoque ea experimenta quæ in Mure in Machina sua fecit *Boyle*
laus

laus, & Regiæ Societati XII. Decembr. MDC LXX communicavit, volens ostendere: *per gradatam assuefactionem vivere vel in aëre multo tenuiore, vel multo diutius in eodem aëre, quam initio viveret*; quamvis vir ingenuus nondum omnia certa & clara esse fateatur, ideoque plura experimenta & in diversarum specierum animalibus institui desideret.

VIII.

Ad aërem quem inspiramus, pertinent Odores quoque. Et hi per aërem dispersi aliter assuetos, aliter insuetos afficiunt, illis minus, his maximè sæpe molesti. Quomodo delicatulos suavibus odoribus adsuetos, feminas imprimis, locorum sordidorum foetidorumque aër, picis item, aut tabaci, aut alius gravis fumus angat, à quibus nihil sentiunt, qui inter illos versantur, notius est, quam ut memorari debeat. Illustrant autem imprimis hanc rem duo notabilia, quamvis ridicula penè, exempla, unum piscatoris, qui ob aromatum, aliarumque rerum odoriferarum in illustri pompæ Regiæ festivitate incensarum inassuetam fragrantiam; alterum servi carnificis, qui in pharmacopolio, ad perceptum gratum odorem aromatum, unguentorumque pretiosorum, gravissimum animi deliquium passi, non ita difficulter deinde, cum alter ad littus marinum deductus & alga limoque coopertus fuisset, alter ad assuetum cloacæ odorem relatus, ad sese redierunt. Narrat priorem historiam, quæ in Lusitania sub Rege Sebastiano contigerit, *Zacutus Lusitanus Prax. Admir. l. 3. Obs. 99.* posteriorem de carnifice Wittenbergenfi *Philippus Salmuthus, Archiater Anhaltinus. Centur. III. Obs. 71.*

IX. Quo-

Quoniam autem Aer non tantum in nares & os recipitur, & inspiratione in pulmones ducitur, sed alibi quoque totum corpus circumstans illud diversimodè alterat afficitque, hinc quoque consuetudinis vim insignem observare licet. Quæ enim corpora in loco aliquo vel nata sunt, vel magnam vitæ partem ibi traduxerunt: ad illius ordinarias vel æstus, vel frigoris, vel temperierum, secundum anni vicissitudines, aut ventos, mutationes se quodammodo assuefaciunt, ut commodè ibi degere possint, aut injurias illas minùs sentiant, quàm illi, qui recenter in ea loca deveniunt. Hinc in peregrinantibus observatur, si ex septentrionalibus in meridionalia, & contrà ex calidis in frigida loca se conferant, præ incolis loci æstus frigorisque minùs patientes esse. Id quod clarioribus exemplis patuit, quando integri exercitus in longinquas terras traducti sunt, licetque legere apud illos Historicos, qui Christianorum expeditiones ad recuperandam terram sanctam descripserunt, tanta populorum multitudine transeunte, ut Occidens quasi in Orientem migrare videretur. Ideoque periti Duces belli, quo in loco milites nati, quibusque assueti aeris injuriis attendere solent. Et ita naturam Gallorum Infubrum, Alpium accolarum, elegantissimis verbis describit *Florus lib. II. histor. c. 4. Alpina corpora humenti cælo educata habent quiddam simile cum nivibus suis: quæ mox ut caluere pugna, statim in sudorem eunt, & levi motu, quasi sole, laxantur.* De Moscovitis, Lapponibus, aliisque Borealibus populis negari quidem non potest, eos habere durata cognato frigore præcordia, & hinc puellos

B

passim

passim trium quatuorve annorum, frigora, etiamsi rigidissima, nudipedes calcare, raroq; amictos linteo ludos in plateis curriculo exercere, ut scribit Jacobus Reutenfels in suo de rebus Muschovit. ad Magnum Hetrur. Ducem libr. 3. c. 7. superiori anno Patavii edito: quin tamen plurimum ad hanc rem conferat consuetudo, nullum est dubium, recteque de frigore Lapponiæ, ingenti & acerrimo, judicat doctissimus Schefferus Lappon. c. 3. non sustineri nisi ab iis, qui à teneris perferre didicerunt. Videmus enim illos, qui sub tali cœlo nati non sunt, longo tamen usu ad illas intemperies ferendas se posse assuefacere, & in nostris locis, certa hominum genera, sive illi, qui *militiam & grave Martis onus* sequuntur, sive venatores qui sub Jove frigido morantur, sive piscatores, qui gelu durantur & undis, omnibus trigidi aëris ventorumque injuriis ita assuescere, ut nihil ab illis afficiantur, nullosque inde vel dolores sentiant, vel morbos patiantur, qui aliis insuetis promptissimè superveniunt.

X.

Videtur verò non tantum in his occallescere quasi cutis, & tactus sensorium ita alterari, ut non amplius priori & naturali modo injurias doloresque percipiat, sed etiam ad interiora magis se mutatio extendere, ut, in capite e. gr. ossa cranii magis solidentur in illis, qui caput nudum aëri exponunt semper, præ aliis, quibus id ipsum à prima infantia tectum est: non secus ac olim inter Persarum & Græcorum capita ossea, post pugnam reperta, magna differentia observata scribitur. Certè quæcunque partes corporis ita præ aliis aut nudantur frequentius, aut
nudatæ

nudatæ semper sunt, minùs deinde sentiunt injurias
aëris externi, sensim illis assuefactæ.

XI.

Hinc jam omnes morbi, qui ab aëre ejusq; muta-
tionibus & intemperiebus oriri in nobis solent, uti tus-
ses, raucedines, faucium pectorisque inflammationes,
ophthalmiæ & catarrhi quilibet, non tam facilè ori-
untur in illis, qui cuivis aëri se exponere consueverant,
quàm aliis, quibus defendere se suumque corpus ab
omnibus externis hujusmodi injuriis maxima cura
est. Oriturque hic quæstio de educatione infantum,
an non melius sit statim à teneris illos ad ferenda fri-
gora & aëris asperitatem assuefacere, secus ac nobilio-
res faciunt? quod suadet *Aristot. lib VII. Polit. c. 7.*
scribitque illud esse *περὶ ὑγιεινῆς ἐκτρέφουσας* ad sanitatem
utilissimum, adducitque exemplum Barbarorum,
qui natos gelido amne mergant, & Celtarum, qui
pauca veste eos tegant: *ad cuncta enim, inquit, ad quæ
possibile est, statim ab initio assuescere melius est.*

XII.

Verùm ego jam ab Aëre ad Cibum & Potum,
omniaque, quæ assumuntur, pergo. Vbi maximam
deprehendimus Consuetudinis vim in assumptorum
qualitate, quantitate, ipsoque etiam utendi modo.
Difficile fane dictu est, qui cibus, quisvè potus na-
turæ maximè sit consentaneus, cum tam varias inter
gentes non eandem victus rationem obtinere, imò
apud easdem gentes sæpius mutatam illam (quod
inprimis Germania nostra docuerit) deprehendere
cuivis, velex historicorum lectione liceat, cum tamen
suus cuivis victus ut ad vitam, ita ad sanitatem ferè

sufficiens sit, quamvis ab eo itidem morbos non nullis locis Endemios nasci, probari quoque facile possit.

XIII.

At verò victus ratio, quæ facile ostendi possit ex se & sua natura non esse bona, reddi tamen ita consuetudine familiaris potest, ut nullam inde molestiam, qui semper ea utuntur, sentiant, maximam alii, qui- bus insueta est. Non autem tantum ipsa illa, quæ in cibum veniunt, varia admodum sunt, sed à modo præparandi, dum sale muriavé condiuntur, siccantur, fumo indurantur, elixantur, assantur, & à variis condituræ generibus novam accipiunt varietatem. Potus verò, qui omnino huc pertinet, magis etiam variat, non secundum integras tantum regiones, provinciasque, sed urbes quoque, dum alibi aqua, & lac, alibi ex frugibus cocti liquores, & illi diversi admodum, alibi vinum, varium itidem, in usum venit. Pertinet huc etiam Vinum adustum, quo non nullæ gentes ad insaniam usque delectantur, nec difficulter ferunt ejus in maxima quantitate, etiam cum calidissimis aromatibus, usum, quoniam ita assueverunt,

XIV.

In iisdem porro regionibus alia Rusticorum vivendi ratio est, alia Urbanorum, & in ipsis urbibus aliter infima plebs, aliter denique ditiores & nobiliores vivunt; suo autem vivendi modo sese omnes affuefaciunt, aliumque deinde difficulter & non nisi sensim sensimque discunt.

XV.

Quamvis autem, dum alii solidis, duris crassisque

que & difficilibus concoctu cibus, alii liquidis, teneris, *εὐπέπτοις* utuntur, & hi & illi difficulter aliam vivendi rationem, cui non adsueverunt, admittant; tamen observare licet, priores facilius posteriorum alimenta ferre, quam hi illorum. Quo pertinet quoque vini potus, cui facilius adsuescunt illi, qui antea non biberunt, quam carere ejus usu possunt, qui à teneris habuerunt. Et hinc est, quòd ad peregrinationes varias, ad militiam diuturnam & longinquam aptiores ferè sint præ aliis Septentrionaliores populi, duro victui affueti, ad alium tamen addiscendum non ita indociles. Et rusticorum quoque ventres & *dura mesorumilia* non adeo malè habent à turdis, perdicibusque, quam à lardo allioque delicati gutturis Apicius angitur, doletque: nec tam promptè à vino læditur in Gallia Saxo, quam à cerevisiis nostratibus Gallus.

XVI.

Est verò illud quoque notandum, cibos illos, quibus quisque adsuevit, non tantum melius in ventriculo digeri, sed etiam gulæ ipsi placere magis, & sapidiores videri, corrumpente gustus quoque; iudicium consuetudine: ideoque rusticum non *Lucrina juverint conchyliæ, non rhombus, aut scari: non Afra avis, non attagen Jonicus jucundior videtur, quam lecta de pinguisimis Oliva ramis arborum, aut herba lapathi prata amanti, aut gravi Malvæ salubres corpori*, ut loquitur eleganter *Horatius l. Epod.* Et inter potus quoque, videmus in Saxoniam nostram, qui triticæ dulci cerevisiæ adsueverunt, hordeaceam lupulo amaricantem repudiare: & inter vina, cum Rhenanum, Mosellanumque à Germanis ferè omnibus nobilissimum censeatur, illis populis, qui

dulcibus vinis assueverunt, non placere, & *generosum acetum* vocari, ceu Tiberius Cæsar Surrentinum appellabat apud *Plinium l. 14. c. 6.*

XVII.

Pertinent verò ad ea, quæ assumuntur, Medicamenta quoque, circa quæ etiam consuetudo regnat, sed alia non nihil ratione. Id quidem etiam certum est, nonnullos medicamenta in illa forma, in qua sumere assueverunt, libentius capere, & melius deglutire posse & retinere, quàm in alia: Cum tamen medicamenta corpus nostrum alterare debeant, in quo potissimum ab alimentis differunt, consuetudine interdum ita familiaria quorundam naturæ fieri videmus, ut planè non amplius alterent, nec proinde effectum, qui aliàs ab illis exspectari solet, edant. In quam rem insigne & lectu dignum est caput 18. l. 9. apud *Theophrastum in historia plantarum*, ubi scribit, *omnium medicaminum vires in assuetis debiliores deprehendi, in nonnullis etiam omnino inertes*, adducitque de helleboro in magna quantitate sumpto exemplum, & rationem addit: *cum à natura admittuntur, superantur, conficiuntur, non amplius poni inter medicamina debent.* Ubi in comm. p. 1148. doctissimus Bodæus exemplum refert cujusdam, qui, cum liberaliter à 3j pillularum cochiarum expurgaretur, postea medicamento assuetus, ne quidem à semuncia moveri potuit. Et *Brassavola de simpl. Med. pag. 636* cujusdam meminit, in partibus orientalibus nati, scammonioque assueti, qui duas ejus drachmas præter noxam comederit, quaterque aut quinquies solùm ejecerit. Docetque id de aliis purgantibus quotidie Practicos experientia. Nec minùs de

de aliis medicamentis, Opiò inprimis, ut mirari quis fatis nequeat, quanta citra incommodum ullum assumi id copia possit ab assuetis, cum alii id ad granum unum aut alterum vix perferre possint. *Garcias ab Orta l.1 de Aromat Ind. c.4.* cum retulisset, quendam Comasonem tres laminas Opii, quæ penderent decem drachmas & amplius, quotidie edisse, exclamat: *Tantum potest consuetudo!* Et huc pertinet illud quoque, quod apud Acidulas nonnullas videmus, Pyramontanas inprimis, accolas illius loci aqua illa uti quotidie, nec ita, nec in illa dosi ab ea purgari, quomodo alii advenientes in assueti purgantur.

XIX.

Quibus illud porro addendum est, usui medicamentorum posse non nullos ita assuescere, ut dein, si intermittant, malè habeant, & quotidie usurpari medicamenta, si carere incommodis velint, cogantur. Quod quotidie fieri videmus, ut qui spiritu vini aut frumenti, aut morsulis aromaticis ad juvandam coctionem aliquamdiu sunt usi, deinde, si omittant, statim de ventriculo & læsa concoctione conquerantur. Nec desunt similia de Opii usu exempla; Celeberrimus *D. Elsholtius in Epist. ad Tilingium* de foemina octogenaria exemplum recitat, quæ quinquagesimo ætatis anno in pertinacem morbum cum plurimis vigiliis prolapsa Laudanum opiatum usurpare cœpit, ab eo tempore ita illi assuefacta, ut abstinere amplius non posset jam, sed singulis noctibus ad grana aliquot deglutire cogere.

XIX.

Verùm redeo nunc ad Cibum & Potum; uti enim
circa

ad omnes actiones motusque natura concurrat. Id quod magis patebit, si infantes eorumque motus & actiones intueamur. Ubi statim occurrit dextræ in plerisque hominibus præ sinistra agilitas, quam non ex plebe tantum omnes, sed ex sapientibus quoque plerique à natura esse crediderunt. Et in hanc rem argumenta sumserunt ab Anatomicis, observantibus, quod Hepar sit in dextro latere situm, truncus arteriæ subclavius dexter amplior quam sinister, imò omnia vasa dextra ampliora, vena ἀζυγῶν in dextro latere, ossa etiam manus dextræ graviora: Verum hæc quidem argumenta esse nullius ponderis, satis hodie manifestum est quædam verò, quæ supponuntur, experientię Anatomicæ manifestò repugnant: nec, si in adultis dextra parte omnia sunt majora, inde sequitur, à natura illa talia esse. Manifestum enim est in infantibus dextram sinistramque manum, dextrum item sinistramque pedem sibi per omnia esse similes, nec ullam in sanguine Spiritusque ratione influxus esse differentiam, nec agilitatem majorem, nec robur majus in dextra quam in sinistra spectari, non magis, quam in oculo dextro præ sinistro aut mamma dextra præ sinistra aliqua excellentia apparet, quamvis id quoque Hippocrat. l. II. Epid. 6. t. 21. scripserit. Quicquid igitur in adultis dextra præ sinistra habet agilitatis, quicquid deinde acquirit roboris & magnitudinis, id omne à consuetudine dependet; cujus quidem argumentum nimis manifestum est, quod multi per eandem consuetudinem sinistram habeant agiliorem, quam dextram, alii sunt ἀμφιδέξιοι, ambidextri, æquimani, quod quidem etiam malè negavit fæminis, & contra experientiam, Hippocr. sect. 7. aphor.

aphor. 43. Agnoscit hanc consuetudinis vim *Aristoteles l. 1. Magn. Moral. c. 34. & Eudem. lib. 4. 5.* quamvis aliàs dextri & sinistri discrimen à natura esse doceat. Docet verò id etiam experientia, si infantibus per consuetudinem (malam, ut Parentes judicant) facta sit sinistra agilior & promptior dextrâ, posse deinde per contrariam bonam consuetudinem dextræ concilari, & sinistrae demum iterum promptitudinem & robur. **Tantum igitur non omnia in his facit consuetudo!**

XXII.

Quid verò mirum est manum dextram cui sinistra per omnia similis est, paulò majorem acquirere agilitatem & robur, usu & consuetudine, si pedes sibi in movendo & in comprehendendo manuum agilitatem consuetudine & continuato exercitio possunt acquirere? Et tamen hoc adeo frequens est, ut paucae sint nundinae majores, quibus non tam promptos pedes in uno alteròve videre liceat. Imo *Tulpius Obs. l. 3. c. 54.* exemplum habet foeminae Britannicae, quae, cum, ob brachia & crura distorta, cuicunque operi esset inepta linguam suam ita assuefecit, ut illa expedite trajiceret filum per foramen acus, nodos texere & scribere elegantissime potuerit. *Hoffmannus* aliam Romae vidit, quae, cum praeter nates nihil haberet, manibus pro pedibus usa est, stare quasi erecto corpore, illudque movere belle ad musicos usus potuit. *Com. in Galen. de usu part. l. 15. n. 1076.*

XXIII.

Reliquorum deinde musculorum vel ossa moventium, vel sese contrahentium tantum, motus etiam perficiuntur consuetudine. *Visum enim ab alio*

motum variis flexibus tam diu imitamur, ipsum donec verum fortè in venerimus, ceu loquitur acutè doctissimus Steno; nec alio modo infantes nostri discunt loqui variis conatibus fonisque exprimentes illud quod audiunt, donec tandem imitentur id commodè. Quòd si audiant minus rectè loquentes nutrices aut matres, malam loquendi & certa vocabula pronunciandi ipsi sibi acquirunt consuetudinem, vix unquam, aut difficulter tollendam; unde prudenter monet *Quintilianus. Instit. Orat l. I. c. I.* ut tales nutrices eligantur, quibus non sit vitiosus sermo, quæque rectè loquantur, ut non affuescat infans sermoni, qui dediscendus sit. Id quod in adultis interdum quoque locum habet, memoranturque Aristotelis amici balbutientem ejus linguam esse imitati.

XXIV.

Et quas non tandem infans imitaretur actiones, quibusque non affuesceret motibus, si ab hominibus abduceretur? Valde notabile est exemplum hominis, in aula Principis Papenbergensis, quod habet *Camerarius horis subcisi v. Cent. I. c. 75.* Qui infans inter pecora in vicinis montanis locis educatus, corporis agilitate & velocitate illis quodammodo similis factus, miris saltibus se levavit, & in ipsis domuum fastigiis cursitavit, inter prandendum in mensam, intactis poculis & vasis, mox in altiora loca profiluit instar sciuri, omnesque hos saltus quadrupes edidit, uti pluribus hoc persequitur *Camerarius*, historiamque aliis illustrat, & tandem concludit: *Vnde apparet, verè dictum esse, Consuetudinem esse alteram naturam, interdum potiore naturam.*

XXV. Quod

XXV.

Quod si jam motus & exercitia corporis in univ-
 sum consideremus, videbimus quoque ibi magnam
 vim consuetudinis esse. Ut enim maturè se quis as-
 suefecit ad labores aut quietem, ita perferre de in eos
 facile aut difficulter potest. *Vegetius l. 3. c. 2.* de rei mi-
 litaris peritis scribit, eos pedites suos sine intermissio-
 ne nivibus & imbribus in campo exercuisse, equites
 verò iussisse, non tantum in plano, sed etiam in abru-
 ptis & fossis se & equos exercere, cum, inquit, *laboris*
consuetudo & in castris sanitatem, & in conflictu possit
prestare victoriam. Rectissimè. Ut enim cum animalibus,
 & equis imprimis, se res habet, eosque, qui laboribus
 adsueta non sunt, mox sudare, lassari, tandem con-
 cidere videmus: ita homines quoque, & ex illis, qui
 consueti sunt labores ferre, etiamsi debiles aut senes, in-
 suetis, robustis licet & juvenibus, facilius ferunt, ut no-
 tat *Hippocr. l. 2. aph. 49.* Cujus aphorismi veritatem
 in senibus rusticis quotidie videre licet. dum inter ope-
 ra sua non lassantur; & in multis eruditis hominibus
 quoque observamus, eos in juventute studiis & animi
 laboribus assuetos, etiam in extrema senectà ab iis non
 fieri lassos, sed iis se recreare quasi, & corporis sui ca-
 lorem accendere, dum alii juvenes inassueti gravari
 se illis conqueruntur.

XXVI.

Circa Somnum quoque & Vigilias consuetudo
 aliquid posse videtur. Præterquam enim quod as-
 suefacere nos possimus, ut certo tempore somnus
 nobis obrepit, certo etiam tempore ille nos deserat,
 quidam etiam multo somno, alii paucissimo gaudent,

folâ confuetudine, cujus tamen tanta vis est, ut si illi, qui multo affueverunt, aliquot sibi horas detrahant, statim inde se debilitari sentiant, non item alii. Id quod de Meridiano somno similiter verum est, cui ita affueverunt nonnulli, ut, si illum negligere cogantur, toto dein reliquo die extra se sint positi. *Æstivo tempore si non diffinderem meridiem meo insititio somno, vivere non possem*, inquit *Varro l. 1. de re rustic. c. 2.*

XXVII.

In Excretis & Retentis plus etiam, vel certè non minùs, quam alibi valet consuetudo. De alvi & vesicæ excrementis notum est, quod statim infantibus nostris, circa ea reddenda consuetudinem honestam, & nobis etiam qualem velimus possumus inducere. Et ut quisque ea sæpiùs aut rariùs reddere consuevit, ita dein, si non reddat, aut reddat frequentius, malè habet. Qui in Civilibus vitæ negotiis versantur, coguntur sæpe, stimulante licèt naturâ, alvum suppressere, unde facilè, si aliquoties id fiat, oriri consuetudo potest, ut deinde non respondeat. Et hujus quidem rei infinita sunt exempla. Illi verò tardæ alvi solutioni reliquam totam naturam ita posse affuefieri, ut non sine detrimento tolli & emendari possit, rarioris est observationis, ideoque insigni aliquo exemplo, à Cl. Dn. Præsidente suppeditato, illustrabo: fenserat per plures annos juvenis quidam alvi tantam difficultatem, ut vix semel in hebdomade, aliquando ne intra duas quidem eam solveret, nec tamen inde malè habebat, nisi quòd in ipsa tandem excretionem ab induratis fæcibus molestiam haberet, majoremque indies metueret, quam etiam solam ob causam remedium

dium quærebat. Cum autem intra aliquot septimanas non infeliciter procederet cura, & alvus quotidie semel, interdum etiam bis, solveretur, rogavit Medicum æger summopere, ut in priorem se statum restitueret, summam enim se sentire virium dejectionem. Cujus fortè non alia fuit causa, quàm quòd diutinæ chyli in intestinis moræ affuefacta jam vasa non possent tam citò educere succum nutritium, alvo se quotidie expurgante.

XXIIX.

In nonnullis, qui frequenter vel lenientibus, vel verè purgantibus, vel clysteribus alvum sibi proritant, talis hinc oritur consuetudo, ut illa, nisi irritata, suâ sponte vix deponat, ceu multi magno suo malo experiuntur; Qui verò frequenter utuntur purgantibus iisdem, non amplius ab illis ad excretionem coguntur, aut certè minùs, quàm alii ceu supra thes. XVII. ostensum est.

XXIX.

De evacuationibus sanguinis, quæ sponte naturæ ex naribus & per hæmorrhoidalia vasa fiunt, item illis, quæ per artifices, venâ dissectâ, procurantur, itidem observatur, posse non nullos ita se illis affuefacere, ut sine illis malè habeant, & vel in capite, vel in toto corpore molestiam sentiant. Foeminæ quoque non nullæ, dum singulis mensibus per cucurbitulas sanguinem sibi detrahi faciunt, ubi aliquamdiu continuaverunt, intermittere deinde nequeunt, quin aut lassitudinem in toto, aut prurimum in partibus sentiant.

XXX.

Qui per errhina & sternutatoria fluxum humoris

ris ex naribus sibi procurare amant, eaque proinde in quotidiano usu habent, ut Itali & Hispani, tandem ita se assuefaciunt, ut sine illis se vivere vix posse putent; Qui etiam artificialem aliquem effluxum humorum ex corpore, excitato alicubi in parte fonticulo, sibi pararunt, post aliquod temporis notabile spatium elapsum non temere suppressere illum audent, cum plurima exempla funestorum inde, subsecutorum effectuum in promptu sint.

XXXI.

Superfunt Animi affectus, circa quos itidem operatur consuetudo. Multi enim ad irascendum sese assuefaciunt quoque, ut semper, etiam levisimâ de causâ, irascantur, & proinde non possint non irasci. Aliis livor per consuetudinem in naturam vertit, ut semper cum Catone adversus potentes obliqui, adversus divites & felices sint invidi. Ad amores verò & res venereas nihil est, quod fortius adigat animos ipsa consuetudine.

XXXII.

Et contrâ constat etiam, plurimum ad toleranda quævis mala & ad dolores fortiter ferendos, mœoresque ex animis abigendos valere consuetudinem, & hac de causa felices difficilius adversam fortunam ferre; malis quippe non, sed faustis tantum omnibus affuetos. Hinc eleganter *Seneca* scribit *lib. de tranquill. animæ c. 10*: *nullo nomine melius naturam de nobis meruisse, quam, quòd, cum sciret, quibus ærumnis nasceremur, calamitatum mollimentum consuetudinem in venerit, cito in familiaritatem gravissima adducens.*

XXXIII.

Possent hæc ultima diducere prolixius nisi à Me-
dico

dico, meoque scopo abiret longius. Talia tamen invenire non pauca licet in eleganti Cl. V. *Erasmi Bartholini Quaestione Academica de Consuetudine*. Et doctissimus *Renatus Moræus*, cum in egregiis suis ad scholam Salernitanam Commentariis Consuetudinis vim in oculos, in aures, in nares, in linguam, in tantum pluribus exposuisset, & ad principem quoque facultatem progredieretur: *Certè, inquit, si veritati fucum demere liceat, fatendum est, nos non nisi consuetudine vivere, sapere consuetudine, mentemq; ipsam consuetudine moderari, non ratione. Nullibi hodie regnat ratio à consuetudine sejuncta, passim consuetudo triumphat absque ratione. Epulae, instituta, ceremoniae, studia, fama, divitiae, honores, religio, omnia ex consuetudine. Aliorum vestigia omnes premimus, & alieno vivimus exemplo.* Hæc ille.

XXXIV.

Vidimus jam plerosque consuetudinis in corpore nostro effectus, quantamque illa in Naturali & Præternaturali statu vim habeat; & diffundere me jam possem in explicandis causis omnium illorum effectuum, quos adduxi: Verùm quædam illorum cuilibet patent, aliæ jam tum in ipsa illorum historia à me sunt explicatæ, quarundam rò quomodo explicare nemo facile potest, neque adeo necesse est, ut Medicus in illud inquirat, cum sine hujusmodi speculatione rectè sanare possimus, ut præclare ostendit *Galenus Comment. in l. de vict. acut. 1.* Ad artis verò usum facit, considerare quomodo in Semeioticis, & inter Medendum Consuetudinis observatio nos juvare possit.

XXXV.

Quando igitur investigamus in ægro morbum, multum proderit indagare, quibus ille aliàs in naturali

statu affuetus, cui aëri, cui victui, (ex duobus enim illis conijcere endemios morbos licet) quibus motibus, quomodo se circa excretiones, animique affectus solitus sit habere. Deinde, quibus in statu præternaturali humorum defluxionibus ad has vel illas partes à longo tempore obnoxius, quos affectus frequenter, quos illa anni mutatione, illo tempore habere solitus sit. *vid. Th. Fienum Semeiotic. part. 1. c. 5. p. 64.*

XXXVI.

In Prognosticis quoque plurimum juvat, nosse, an talibus morbis ante hæc solitus sit æger laborare, & quo eventu: quomodo causæ non naturales in hujus ægri corpus agant, motusque humorum in illo vel impediant, vel augeant: cui aëri, victui, motibus affuetus sit. Cum enim ex omnibus illis naturam humorum liceat colligere, motum quoque morbi Eventumque licebit prædicere. Ita in illo, qui sæpius febribus solitus fuit laborare, & cum facili terminatione, facilius curabitur quoque, quæ jam exorta est, quam in alio, qui nunquam febre laboravit.

XXXVII.

In Therapeuticis denique dubium non est, quin à consuetudine interdum sumendæ sint indicationes, cum Consuetudo inter causas sit, & quasi altera natura, quæ complexus quidam est causarum in corpore nostro agentium. Et hoc jam tum docuit *Galenus l. 2. Meth. Med. c. 3.* eumque sequuntur Medici alii, & secundum à Natura habere in indicationibus locum monent.

XXXIIX.

Notandum autem est, esse aliam Consuetudinem Bonam, aliam Malam, aliam Neutram quodammodo &

do & indifferentem. Ex quibus prior utique indicat sui conservationem, altera sublationem, tertia inter conservationem & sublationem ambigit: quæ quidem pluribus nunc, & cum debitis cautelis proponi & explicari debent.

XXXIX.

Bona Consuetudo utique conservanda est. Si quis enim secundum diætam, & secundum omnes res Non naturales rectè sese gesserit, geratq; si convenienti naturæ & ætati & vitæ suæ generi cibo, debitis item motibus, assueverit, mutanda utique illa bona consuetudo non fuerit. Hoc tamen jam tum prudentes observarunt Medici, non debere aliquem se uniformi vivendi modo assuefacere, ut ille quasi in naturam vertat. Non patitur enim id vita humana, ejusque varietas & inconstantia, quæque nos proinde ad varias subeundas mutationes jubet esse promptos paratosque, ideoque rectè *Galenus Comment. ad aphor. 20. Hippocr. sect. 2* uniformem consuetudinē periculosam dicit, non quòd ex se & sua natura talis sit, sed, quòd, cum servare eam deinde semper nequeamus, mutatio periculosa sit. Et videre licet hoc in ditioribus nonnullis, qui in liberis suis educandis uniformem modum servant, & à noxio aëre, à malo victu, ab inconvenientibus aut nimis motibus prohibent: quamvis enim hoc rectè hætenus faciant, tamen, quum deinde pro vario vitæ, quod eligunt, genere, pro mutatione locorum, pro necessitate temporum aliter atq; aliter gerere se cogantur, insuetis nimis molesta sunt omnia & periculosa: Hoc sensu *Celsus l. 1. c. 3. otiosa nimis vita, inquit, utilis non est, quia potest laboris incidere necessitas.* Ideoque circa vivendi modum, cui quis assuescere debeat, aurea sunt ejusdem

Celsi prudentia non minus Medica, quam elegantia plena verba l. i. c. i. *Sanus homo, qui & bene valet & sua spontis est, nullis se obligare legibus debet. Hunc oportet varium habere vitæ genus: modò ruri esse, modo in urbe, sæpiusq; in agro: na vigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere: interdum balneo, interdum aquis frigidis uti: modò ungi, modò id ipsum negligere: nullum cibi genus fugere, quo populus utitur: interdum in con-victu esse, interdum ab eo se retrahere, modo plus justo, modo non ampliùs assumere.*

XL.

Mala Consuetudo mutanda omnino videtur, & mutanda etiam est, sed non temere. Cum enim magna ejus, ut superiùs exemplis patuit, vis sit, cum altera Natura, facilè etiam intelligitur, non posse eam citra periculum aliquod immutari. Et hìc non tam ægri sua sponte peccant, (consuetis enim libenter adhæremus) quàm moniti à Medicis, quorum in hac re consilia, nisi cauta sint, periculosa & funesta sæpe fiunt.

XLI.

Ex longa & accuratissima observatione hoc habuit *Hipocrates*, posterisq; illud communicavit: *Consuetata longo tempore, etiamsi deteriora sint, insuetis minùs molesta esse solent. aph. 50. s. 2.* Igitur & circa consuetum aërem, & circa solitum cibum, motusq; & excretiones indulgere aliquid prudens Medicus debet, ne majori cum malo ad alia insuetata, licèt meliora videantur, transitus fiat.

XLII.

Et hoc maximè locum habet circa illam consuetudinem, quæ non nuper demum, & ab aliquot annis nata est, sed quæ ab ipsa pueritia ad senectutem
usque

usque, aut à pluribus annis adhæsit. Et hæc inprimis ratio est, cur in senibus mutari non debeat mala licet consuetudo, cum præterea etiam debiles corpore illi sint, & nullas facile mutationes ferant, quamque difficulter in illa ætate artes novas, itaque quoque novas diætæ discant. Ideoque in Annalibus apud *Jovium l. 32. histor. p. 528. & Sleidanum Comment. l. 1 x. pag. 245.* non sine causa male audit Curtius Medicus, quod Clementem VII. Pontificem jam senem, & cætera firmum valetudine, innotoque membrorum robore validum ad novam vitæ victusque rationem consilio suo deduxerit: illo enim non diu post mortuo, *dubio procul occidisse Curtius creditus fuit*, uti habent verba Jovii. Circa quam historiam aliter quidem fortassis vulgus judicavit, quem in talibus sequi solent historici, aliter periti artis. Magis enim verosimile videtur, Pontificem diuturno stomachi vitio, quod disertè memorat *Sleidanus*, cuique curando diætam aliam necessariam judicavit Curtius, tandem objisse. Interim inde discimus, quàm prudenter in talibus se gerere Medicus debeat, ne, licet immeritò, calumniam dein patiatur apud imperitos, & circumstantiarum nescios; similiter enim *Onuphrius* quoque *Panvinus* in vita Julii III. p. 436. Medicorum consilium imprudentiæ accusat, quod Pontifici seni ad arcendos intolerabiles Podagræ dolores novam victus rationem præscripsissent, unde febris orta paucos intra dies eum extinxerit: quamvis proprio motu Pontificem id fecisse, alii constanter tradiderint, ut ipse *Onuphrius pag. 734.* fatetur. *Cl. Dn. Præses* de celebri belli Duce, ferè septuagenario, in locis vini generosi feracibus nato, semperque illis adsueto, mihi retulit,

eum post febrem acutam, non satis feliciter & planè superatam, cum magnus hecticæ metus esset, ex consilio Medicorum cerevisiam bibere cœpisse, effectu prima hebdomade bono, deinde autem subsecuta totali ἀνορεξία cum ciborum ægrè assumptorum vomitu perpetuo: quæ mala tollere ante non potuit Dn. Præses, quàm vini iterum potum concederet, altera parte succi cydoniorum vel pomorum Borsdorffianorum temperatum, quo ipso tamen potu paucisque aliis medicamentis hecticam, quam metuebat, prævenit, pluresque annos supervixit.

XLIII.

Vti verò non in debili sene temere facienda est mutatio in consuetis, ita nec in aliis illo tempore, quo morbo aliquo tenentur, sed tum potius illis aliquid indulgendum est, & tempore recuperatæ sanitatis de mutatione consuetudinis cogitandum. Nisi fortè excipere hinc in certis casibus aërem velis, cujus, si morbus inde cœpit, mutatio valde est necessaria. *Pessimum egro est cœlum, quod ægrum fecit*, inquit nervosè, *Celsus l. 3. c. 1. adeo ut in id quoque genus, quod natura pejus est, in hoc statu salubris mutatio sit.*

XLIV.

In primis autem cum quis mutare aliquid volet, paulatim debet assuescere, nec citò transire ab uno ad aliud. Nemo quidem est qui non norit quòd à bono more ad malum subitò transire pessimum sit & noxium: Verùm non minùs in mala consuetudine emendandò, certum est etiam ad bonam transitù debere esse paulatinum. *Neg, ex nimio labore subitum otium, neg, ex nimio otio subitus labor sine gravi noxa est*, inquit iterum *Celsus l. 1. c. 3.* & id circa omnes res non
natu-

naturales considerari debet, cibum in primis & potum. *Contraria paulatim inducere oportet, & interquiescere,* monet Hippocrat. l. vi. de morb. vulg. sect. 2. §. 18. Quomodo autem id in singulis sensimque fieri debeat, hujus loci non est docere, sed ex Practicorum libris & imprimis prudentium exercitiorumque Medicorum consiliis peti debet.

XLV.

Circa illa, quæ vel hoc, vel alio modo fieri possunt, & ad quæ se indifferenter habet valetudo nostra, etiam Consuetudo versatur, illamque nec bonam, nec malam, sed Neutram vocavimus. Habet autem eandem ferè cum Bona in Therapeutica rationem. Postquam enim illis indifferentibus ita assuevimus, conservanda utique consuetudo est. Ideoque quamvis indifferens sit, bis indie cibum sumere, aut semel, tamen, postquam aliquis à longo tempore assuevit prandio cænæque, consuetudinem illam citra necessitatem non mutabit. Et ita in aliis quoque se res habet. Facilior tamen & tutior mutatio est. XLVI.

In ipsis igitur Auxiliis Medicis quoque, ut Venæsectione, Purgatione, Sudoriferis &c. semper considerabit Medicus, an iis adsuerit æger, & medicamentis præsertim. Quæ enim solitus quis est adhibere, illa etiam meliorem effectum edere solent, nisi ipsa assuetudine familiaria magis facta, fuerint, quam ut irritare naturam possint, ut supra th. XV I. dictum est.

XLVII.

Requiritur igitur, ut ipse etiam Medicus cum ægro longa consuetudine familiaritatem habeat, ut melius scire, quibus ille assueverit, possit. Qua de causa *Medicum Amicum extraneo utiliore esse quam vis par sit*

At scientia, scribit Celsus in præfat. quod scilicet frequenti cum ægro conversatione didicerit naturam ejus & consuetudinem, laudatq; eo nomine Britannos suos Job. Cajus in Meth. Medendi l. 1. p. 35 quòd magnates nobilesque suos quique Medicos familiares habeant, qui proinde in medendo non communia quædam confectari cogantur, sed naturæ consuetudinisque habita ratione rectè atque ex arte mederi possint. Et hæc quidem de Consuetudine, ad usum imprimis Medicum, dicta sufficiant
SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIUM ANATOMICUM.

D*ari in corpore nostro vasa sanguinea, quæ non sint rotunda, sed alterius figura, τριγώνου fortè omnibus videtur: neq; enim in Anatomicorum vel veterum vel recentiorum libris temerè id legere est. Sinus tamen, seu canales dura meningis (qui, ut sanguinem in se continent, ita illum revera instar aliarum venarum ad cor reducunt, cum jugularibus venis coherentes) triquetros esse semper docuit Cl. Dn. Præses. Quamvis autem id non obvia, sed difficilioris sit observationis, tamen nuper evidenti & elegantissimo experimento veritatem rei omnibus spectantibus patefecit. Cum enim superiori anno finiente, rigidissima hyeme, corpus virile dissecaret, cum alia multa & curiosa circa humores congelatos ostendit, tum imprimis ad Sinum Falciformem dura Meningis attendere nos jussit. Ex illo enim juxta longitudinem forfice dissecto sanguis congelatus exemptus, in frustulis omnibus, quæ longitudine articuli digiti coherentia educi poterant, figuram trilateram illam nobis manifestò exhibebat, quæ ea non aliunde, quàm à vase triquetro, habuisse, quilibet conjicere poterit. Et Cl. quidem Præses, quæ aliàs circa sinuum illorum figuram observavit, & hac ipsa plenius cum omnibus circumstantiis, in suis Observationibus Anatomicis Novis proponet. Ego horum tantum, quæ vidi, meminisse volui, ut speculandi materiam subministrarem aliis, quæ de causa Natura ea fecerit.*